

F. R. 73.

Za  
1791ILLVSTRISSIMO ATQVE EXCELL  
TISSIMODOMINO,  
DN. WOLFGANGO  
DIETERICO  
S. I. R. COMITIA  
BEICHLINGEN,  
DYNASTIAE HOYERSWERDENSIS  
DOMINO,S. R. MAJESTATIS POLONIARVM  
ET SERENISSIMI SAXONIAE ELECTORIS  
MAGNO CANCELLARIO  
ET SENATORI SANCTIORI,  
DOMINO SVO GRATIOSISSIMO,

RESTAVRATOS

AB

AVGVSTISSIMO ROMANORVM IMPERATORE  
LEOPOLDO,SACRI ROMANI IMPERII COMITIS  
TITVLOS ATQVE INSIGNIA,

PVBLICO ALLOQVIO

SVBMISSE GRATVLATVR

ACADEMIA LIPSIENSIS

INTERPRETE

GOTTFRIDO OLEARIO, P. P.  
EJVSDEMQVE h. t. RECTORE.LIPSIÆ, 1791  
Litteris CHRISTIANI GÖZL.UNIVERSITÄTS-  
HALLE  
BIBLIOTHECA  
PONICKAVIANA



ILLUSTRISSIMO AIGLE EXCELLEN  
YISSIMO

DOMINO  
DR. WOLFGANG  
DIETERICH  
S. R. COMITI

REICHELINGEN  
DYNASTIAE HOFERWERBENSIS  
DOMINO

S. R. MAJESTATIS POLONARUM  
ET SPRENSIS SAKONIAE ELECTORIS  
MAGNO CANCELLARIO  
ET SENATORI ELECTORIS  
DOMINO SMO ORNATISSIMO  
RESTATORS

AUGUSTISSIMO ROMANORVM IMPERATORS  
LEOPOLDO

SACRI ROMANI IMPERII COMITIS  
TAVROS ATOVE PRISIA

ACADEMIA BRUNSVIGENSIS  
INT. LIBRIS

GOTTFRID OLEARIO  
BRUNSVIGENSIS

1774  
H. Christian Gott







ILLVSTRISSE ATQVE EXCELLENTISSE  
COMES,

DOMINE GRATIOSISSE,



QVoties in TE et Potentissimum Herum Tuum,  
Poloniarum nostraeque Saxoniae AVGV-  
STVM, intuemur, animo fere pendemus, il-  
lumne, an TE magis fortunatum existimare  
debeamus: illum, qui in deligendo mini-  
stro, omnium consiliorum particeps, TE, qui eo quod Prin-  
ceps Tibi divinitus obtigit, justissimus virtutum Tuarum aesti-  
mator, remunerator aequissimus munificentissimusque, felici-  
tatem pluribus etiam seculis (quid enim hominum aetatem di-  
cam?) rarissimam fuistis consecuti. Huc tamen, ubi percussos  
tanto felicitatis virtutumque, in REGE aequae ac Regio ministro  
conspicuarum, splendore animos aliquantum colligere datur,

A 2

inflam-



inflammato studio ferimur omnes, ut fortunam in istius societatem gloriae se minime offerre, vobis cedere, vestramque se esse totam et propriam fateri existimemus. Equidem fuit profecto quibusdam summis viris quaedam ad amplitudinem et ad gloriam, et ad res magnas bene gerendas divinitus adjuncta fortuna: nunquam tamen temeritas cum sapientia commiscetur, nec ad consilium casus admittitur; quae cum in REGE TUO et TE summa sint omnia, totum hoc quantumcunque est, quod certe maximum est, totum inquam AVGVSTVS Tuus Heroicae virtuti Suae rarissimaeque prudentiae debet, TV AVGVSTO meritisque Tuis: nihil sibi ex ista laude fortuna, nihil casus et coeca fati ludibria decerpunt. Ad summa nimirum natus Maximus Princeps, nec pluribus Imperiis impar, generosae aquilae ad instar sublimia ipsumque solem petens, divinaque oculorum acie infra se posita alte despiciens, si quid quod alere, indolem generosam possit, firmare positas in sublimi sedes, terra habeat quaerit, idque demum sibi jungere totumque addicere gestit. Quid vero in his terris potius ad se convertat rapiatque soli atque illustribus rebus unice adsuetos oculos, quam illae quae in TE sunt, HEROS ILLVSTRISIME, dotes, quarum purissimus splendor, nihil ex terrenis fordibus trahens, coelestem originem prodit, terraeque angustias egressus, per coeli amplissimas regiones late diffunditur, et ipsis coelestibus ignibus dubiam lucis gloriam reddit. Coelestem prode dico originem maximas dotes Tuas, Heroum enim sanguine cretus, ipsum coelum cognatione contingis, et antiquitate, et virtutum gloria illustribus, summoque quod habent honores fastigio proximis progenitoribus inclytus. Quae sicuti magnificienda merito felicitas est, cum gemmae etiam atque metalla ex venae qua eruta sunt autoritate trahere dignitatem, plantae ex  
femine



femine atque radice intelligentibus videantur; Ita majus ta-  
men est sua virtute eminere, et quae antiquitas magnisque im-  
minentium fatorum invidia ornamenta detriverat restituere, fi-  
tum quem temporis culpa contraxerant sua industria absterge-  
re, lucemque ac gloriam in majoribus illustrem, illustriorem suo  
lumine reddere. Quod ita tu haecenus, HEROS ILLUSTRIS-  
SIME, mirantibus animoque suspensis omnibus praestitisti, ut  
longius etiam procedere, et passu coelesti coelum ipsum et si-  
dera petere, omnibus vero majoribus Tuis vitam et dignitatem  
suam reddere videaris. Hoc scilicet spectabat illa acerrima in-  
doles, quae in TE puero statim maxime et ad miraculum emi-  
nebat, huc illa divina et nunquam destituens memoria, illa ju-  
dicii incredibilis vis, quae adolescentibus annis magis in TE re-  
fulgebat indes atque magis. Quas naturae dotes sicuti ad ma-  
ximos usus gentiumque et regnorum salutem TIBI concessas  
esse divinitus intelligebas, ita inde dum patria adhuc TE domus  
tenebat, ingens ardor discendi accendebatur, qui deinde cum  
Academiarum spatia esses ingressus, laeto ac libero impetu ita  
grassatus in studia est, ut certante cum docilitate ingenii discen-  
di cupiditate summa mox publici privati que juris scientia, quam  
Regiam artem Plato vocabat, in TE extiterit. Viderunt TE, quod  
rarum in ista fortuna atque aetate, Viadrinae Athenae funden-  
tem ex pulpitis suis oracula magis, quam disceptantium nodos  
solventem, Tuaque adeo doctrina cum summa oris suavitate,  
quam decens tamen temperaret gravitas, conjuncta effecisti, ut  
Doctorum miraculum et stupor, aequalium exemplum, sed  
quod e longinquo sequerentur nec passibus aequis, apud o-  
mnes merito audires. Noveras nimirum clarissimarum artium  
comitatu deductum ire oportere, qui eum, ad quem divinitus  
incitatus contendebas, locum et implere vellet et ornare, ac

B

togae



togae summae splendorem tueri cuperet: infinitisque adeo laboribus et incredibili contentione TIBI id comparandum putabas omne, quod libri, Doctores et Academiae polliceri viderentur. Quae omnia toto animo complexus, ut quod libri jam antea edocuerant, oculis ipse cerneret, et quam praeceptis haecenus finxeras prudentiam et vivendi disciplinam, exemplis quoque formares, exterarum visendi gentes cepisti consilium, memor quantum Herculis virtuti pariter accesserit ac gloriae, quod magnorum operum inspector extitisset. Non vana hic animum, magnis intentum atque dicatum, signorum, tabularum, aliarumque id genus rerum, quibus umbratilem vitam solantur plerique, otio, honesto licet, obtorpescentes, occupabat curiositas. Licet enim ista oblectamenta superbe non respueres, voluptatique praecipue TIBI duceres lustrare loca monumentaque veterum, quae memorabilis cujusdam sive rei sive exempli TE admonerent, et contemplatione sui ad res magnas, quibus divinitus destinatus es, gerendas, ut olim Themistoclem Miltiadis trophaea, Achillis tumulus Alexandrum, Alexandri statua Victoris orbis terrarum populi Dominum, Caesarem, excitarent; Homines tamen spectabas praecipue, qui urbes populosque et integra regna prudenti consilio moderantes, et fessis mortalium rebus subvenientes ad aeternitatem viam sibi sternebant. Hac mente Anacharsin exterarum gentes videre volebat Toxaris, inter Arctoeae sapientiae conditores celebris. Solonem imprimis spectandum proponebat, quo viso omnia eum vidisse, hunc Athenas, hunc ipsam Graeciam esse ajebat. Horum itaque frui commercii, doctrina imbui, exemplo formari laborabas, cetera quae serio agimus vulgares animae lusus TIBI erant et otium. Sic Galliam lustrabas, sic cum Belgio

An-



Angliam, istarumque gentium ingenii, moribus, institutis, opibus, virtutibus et vitiis divina ingenii acie perspectis, in patriam redibas, saluti ejus consecraturus, quicquid per tot labores, per tot rerum discrimina scientiae TIBI paraveras. Tot visa TIBI totque audita haecenus, quas non induerunt, disciplinas Tuas per se solertissimae menti? Attamen illi ad perfectissimum exemplum formandae ultima manus Illustrissimi Parentis Tui accessit, sanctissimi senis, in quo an sapientiam literarum studiis et longo rerum usu acquisitam, an pietatem, an in rebus gerendis dexteritatem, an justitiam et mentem in afflictas et concussas injuste oppressorum res propensissimam, an Heroicam animi constantiam et aequalitatem rebus adversis non magis succumbentem, quam elatam secundis, an in rempublicam, et quae primo loco commemoranda fuerant, in Ecclesiam merita magis admirari debeamus, quis dicat? Esset hic locus ad dicendum ornatisimus, et in quo oratio neminem posset destituere, verum cum nihil huc nisi perfectum ingenio, arte elaboratum, et omni eloquentiae lumine ornatum afferre oporteat, campum ingredi merito veremur, ex quo exitum invenire difficile adeo videatur. Hujus quanta TE longum saepe ac diuturnum contubernium docuit, quam abundantissime in casus omnes ac rationes consilia Tua idem instruxit, mentem obfirmavit! Chironis et Herculis contubernium diceres, adeo mutuus amor, Parentis Illustrissimi in docendo fides, Filii ad maxima quaevis erecti in discendo ardor et docilitas, hujus ineffabiles profectus, illius de optime collocata institutione et disciplina gaudia sibi mutuo respondebant. At intra limen et velum, quod ajunt, ista haecenus gerebantur, vel sic tamen erumpent, prodensque se ipsam virtus obscurita-



tis impatiens, aulae et Procerum opinionem, Principis favorem et gratiam uberrime TIBI conciliabant. Habent hoc magna ingenia, latere non possunt, luce quae nimbi instar divini undiquaque ea ambit, coruscant. Pone etiam ipsa latebras quaerere et tenebris sese immergere: cogere in angustias seipsas non possunt, noctemque dispellunt ubi inveniunt. In aulam igitur vocaris inter Consiliarios dicundo juri cooptandus, et tyrocinium positurus ubi absolvere stipendia et veteranae virtutis experimenta dare alii merito in summa felicitatis parte collocant. Quanta hic Tua in consulendo prudentia, in expediendis difficillimis nodis dexteritas, quantus justus et aequus amor, apparuit. Nunquam hic telis quas texere solent, quibus jure injustitiam defendere mos est irretitus, nunquam statuendi anxius inventus es. Erat TIBI ad manum augustissima, illa scientiae suppellex in Academiis summa cum laude quaesita, non hic demum longo usu quaerenda: suppetias ferebat divina judicii vis, omnes rerum apices mira solertia semper affecuta: omniaque moderabatur, rara seculi virtus integritas. Sicque adeo jam tum adumbrabas maximas res, quas postea expresisti. Adumbrabas vero tantum, non quod vires ad exprimendum deficerent, sed quia materia deerat, nondum dimisso in illud stadium, in quo tanto postea omnium plausu et gratulationibus tam laudabiliter decertasti. Nihil igitur ad summum, quam ultima manus videbatur restare, cum subito fortuna turbare omnia, et, ut rebus magnis nunquam non imminet, aperte invidiam suam prodere conaretur. Sed frustra isti conatus, triumphos de fortuna virtus egit, nihilque aliud fuit effectum, quam ut constaret omnibus non fortunae deberi quicquid in TE magnum est, sed illam virtutis Tuae ministram esse et quasi pedissequam. Subducere igitur se vi-

sa,



sa, non recessit tamen, virtute Tua retenta, et ubi se abdi-  
disset paululum in lucem Tua manu protracta, illustrius  
mox emicuit ac pristini oris laetitiam ostendit, et dum ob-  
esse maxime operis consummationi videbatur, consumma-  
vit. Quid enim ad summam rerum TIBI deerat, quam  
fortunae variae lusus nosse, a qua deceptus qui nunquam  
fuit, non temere adversa casuum reputat. Dabat Mi-  
thridati fortuna multis rebus ereptis, quod ipse aiebat, u-  
sum bene suadendi, TIBI ad invidiam usque dedisse hacte-  
nus AVGVSTVS Tuus experitur, Europa miratur.  
Quid quod infracta vis animi, constantia admirabilis, hac  
sola ratione sui publice dare experimenta potuerunt? et  
TV etiam, HEROS ILLUSTRISIME, TIBI ipsi in ista soli-  
tudine qua privatus, fortuna etiam destitutus agebas, pro-  
pius innotescere, TE ipsum experiri, et quam obfirmato  
animo contra omnia, quae extra nos posita sunt, obniti  
valeas, Tuam intra TE ipsum felicitatem quaerens, perspi-  
cere valueris? Hinc longe illustrior virtus Tua externo fa-  
ctu exuta emicuit, idemque TIBI quod lucidissimo cuivis  
siderum evenisse vidimus, majori orbe inter nebulas atque  
vapores, et si quid aliud est peregrinae materiae conspicuo,  
sed purius longe atque laetum magis lumen, ubi soli in coe-  
lo sereno sine adscititiis fulgere datur ornamentis, fundenti.  
At et cessit Tuae tandem perseverantiae fortuna, et quae  
in averso fuerat hactenus, visendam se praebuit, major quo  
ferior, sicque adeo ex ipso malo lux TIBI et gloria parta  
fuit. Ita nimirum immota inter ipsa adversa mens, nun-  
quam mutata inter morosas fortunae mutationes fides, sum-  
ma animi sibi semper praesentis turbidis etiam rebus fere-  
nitas et perspicacia, ineffabilis etiam cum minime id ap-  
pare-

C

pare-



pareret, ad augendam AVGVSTI Tui gloriam contentio, Principem sagacissimum ceperunt, ut inter familiares mox iterum adscitum, primum facile locum inter eos paulo post TIBI concederet, magnorum quae animo tum volvebat auctorum inter paucos conscium. Sic, quod in Cataracto laudat veterum non nemo, civili prudentia illustris, multa ambigua, multa prospera TE extulerunt, ut inter Heroas praeminere occiperes. Poterasque videri fastigium jam attigisse, si magnae animae nossent, extremum, gloriaque ipsorum et merita terminos paterentur. Quos utut Tua TIBI animi temperantia poneret, moderatura fortunae, virtus tamen quo plus occasionis nacta esset, tanto magis sese ostendens, urgebat. Nihil interea locus sublimior in animum Tuum poterat, summa et perfectissima ejus observabatur aequalitas, non fortuna odium inflammabas, sed bonitate leniebas, veritatem, rarissimum in aulis bonum, producebas, afferebas, justitia per TE loquebatur, stabat Religio. Severitatem sine rigore, gravitatem nulla austeritate corruptam prae TE ferebas, quorum in utraque multum comitatis et humanitatis elucesceret. Prima TIBI cura, AVGVSTI Tui gloria erat, cui cum Reipublicae salutem et integritatem maxime subservire intelligeres, illi quoque erecta mente semper advigilabas. Ita enim est, non separari Princeps atque Respublica possunt, connexa arctissime commoda utriusque sunt, nec sentit non, ille quicquid in istam redundat mali. At et civium multorum calamitas et Reipublicae sejuncta esse non potest. Cumque pauci in civitate rem atque fortunas amittere, possint, ut non plures secum in eandem calamitatem

tra-



trahant, singulis quoque providere, singulis ut bene esset prospicere a Tuo loco non alienum esse existimasti. Divinum profecto opus! nulla enim res tam parva est, cui providere numine suo indignum judicet Deus. Et Deus est mortali, juvare mortalem, et haec ad aeternam gloriam via. Hac cum ILLUSTRISSIMO PARENTE Tui vivere Majores, hac ipse vadis fessis rebus, cujuscunque etiam sint, subveniens. Hinc facilis omnibus, audire omnes paratus, justus adversum omnes, auxilio et gratia Tua praevenire etiam adsuetus, neminem tristem a facie Tua abire patiens, diem TIBI periisse, quo bene nemini feceris, novae generis humani deliciae, existimans. Dici non potest, quantum ista Tui amorem, quantum nominis gloriam ubique auxerint. Magnum enim, fa-teor, est bellica laude inclarescere, sed tamen ejusmodi res merito veterum non nemo, quando vel legimus vel audimus, obstrepi clamore militum et tubarum sono sibi videri ajebat, cum vero aliquid clementer, mansuete, juste, moderate, sapienter factum audimus, maximo studio incendi omnes non modo in gestis, sed etiam in fictis rebus, ut eos saepe, quos nunquam vidimus, diligamus. TE itaque, quem praesentem intuemur, cujus mentem sensusque quotidie experimur, cujus omnem vitam recte factorum gloria illustrem novimus, quo amore non prosequamur, quibus laudibus non ornemus? Sensit hoc Saxonum suorum ac Mysorum et reliquarum sibi subje-ctarum gentium in TE studium AVGVSTVS noster, Tuamque TIBI virtutem augustum istud opinionis, hoc est, auctoritatem comparasse gestiens, ut amplius frueretur et ipse et sui vita atque virtute Tua, simulque justum



meritis Tuis pretium statueret, SUMMI per Saxoniam et Myfiam suam CANCELLARII titulos atque insignia TIBI contulit. Quantis novum istud honorum Tuorum augmentum bonorum civium plausibus fuit exceptum. Ad bene de Republica sperandum quasi signum aliquod sublatum esse credebant, nec calamitate tantum, sed et calamitatis formidine se liberatum iri sperabant. Exultabat tum maxime haec Academia nostra, vixque vocem ejus in publicum erupturam modestia et purpurae Tuae reverentia, continebat, represit tamen se ipsam licet aegre, et effusissimam laeticiam, turbam et publici judicium in ista affectus vehementia metuens, maxime autem fastigium istud Tuum reverita, privatim et verecunde testata fuit. Jam vero summam in gradu quoque isto humanitatem Tuam experta, audacior facta, publice quoque studium cultumque suum TIBI, longius adhuc provento, probare contendit. Quid vero de Tuis, DOMINE, in hoc stadio immensis laboribus rebusque praeclare gestis dicam, in quibus describendis omnem eloquii vim deficere mihi sentio. Loquantur exteri Reges, quorum studia virtus Tua, in isto fastigio maxime refulgens, TIBI conciliavit, et apud quos vel eo sapientiae AVGVSTI nostri crevit existimatio, quod imitandum posteris exemplum in amici atque familiaris dilectu proposuerit. Testatus hanc de TE opinionem suam illustri et ad posteros perennaturo monumento fuit Serenissimus Danorum Rex, torque Danebrogico oblato, virtutis Tuae suaeque existimationis tessera, testati alii fuere quamplurimi. Sed quid numero opus, cum maximus Principum LEOPOLDVS AVGVSTVS quanti faceret virtutes meritaque Tua magno documento modo  
osten-



ostenderit. Antiquae stirpis nobilitate vivebas contentus,  
TIBI sufficere putabas virtutum lumine novum decus illi  
addidisse, nec unquam sublimiorem gradum ambiisti. De-  
tulit sponte ac ultro Principum Princeps, TE non petente,  
nemine pro TE exorante, suum iudicium secutus, suo affe-  
ctu impulsus: indignumque ratus, antiquam gentis virtutem,  
quae in TE et ILLUSTRISSIMO PARENTE Tuo longe illu-  
strior rediit et consummatior, titulis carere, quae vetus tot  
meritis illustris progenies fuit ornata, Romani Imperii  
Comites vos esse iussit. Quid faceret summa Tua virtus no-  
va ista sese exerendi occasione oblata? Honores quos ideo  
tantisper genti Tuae subtraxisse divina providentia videtur,  
ut Tuae virtuti redderet, propriosque ostenderet, uti non  
ambiisti superbe, ita nec deprecatus fuisti humiliter: sed ve-  
recunde accepisti, ita ut deinde tamen etiam non cum basi  
Tua, sed sola virtute TE metiri TIBI constitutum maneret.  
Quem vero nostrorum sensum, qui ex longinquo fasces  
Tuos adoramus, fuisse existimas, cum novo isto splendore  
auctum fidus Tuum nobis affulgeret. Solis instar in solsti-  
tium meta exorientis nobis habere visus est, qui semper qui-  
dem fovet terras ac recreat, tum tamen potentissimos ra-  
dios spargit, ubi in supremum gradum evehctus est, in quo  
nihil est, quod non maturet atque perficiat. Quid vero a TE,  
Heroum maxime, non sperent literae? quid Academia,  
nostra non expectet? qui uti domestico magni Parentis  
exemplo ad fovendas atque alendas bonas literas excitaris,  
ita a TE ipso id habes, ut concitatisimo studio et propen-  
sissimo affectu in eas feraris. Primum certe, quod nos fe-  
lices reddere possit, habes VELLE. Vis enim, quod noris  
pro Tua divina prudentia rerum pretia, vis, quod ipse harum

D

disci-



disciplinarum et artium, quas Academiae pollicentur, summa apud TE sit facultas. At et velle testatus es, dicato Apollini et Musis in sede Tua HOYERSWERDENSEI sacratio, omnis generis librorum penu instructissimo: testatus es paterna pro hac Academia nostra cura, cujus res, quoties ad TE delatae fuere, quam commendatissimas TIBI habuisti. Sed nec secundum deest, quod consummare felicitatem nostram valeat, POSSE. Hanc itaque TIBI potentiam Tuam impense gratulamur omnes, nostra enim spes tot incrementa capit, quot autoritas Tua capit augmenta. Idemque qui nobis, omnis Saxoniae et Mysiae, imo et Poloniae, nisi illas parum salutis suae atque bonorum esse intelligentes credamus, est sensus. TE vero fortunatum nimis, si fere fortunatus est ille, cujus ex gloria non minor, paene ad omnes, quam ad illum ventura sit, laetitia pervenerit. Fortunatum PARENTEM, qui togatae virtutis numeros implevit omnes, summum honoris fastigium ipse, meritis, ad quod Filium exemplo, institutione, consiliis, deduxit: Deductum vero mascula et adulta virtute ipsum, passu coelesti illud conscendere vidit, una ipse conscendit. Sic denique, quos dudum refugerat honores cumulatiores in se irruere videt, et quod mereri volebat, invidus, certe non ambiens obtinuit. Nunquam virtus cum modestia conjuncta illustriori exemplo eminuit, nunquam illustres adeo de fortuna pariter ac gratia egit triumphos. Magnum Catonis merito miramur animum repulsam fortiter ferentem. Quo vero Tuam, PRÆSES EMINENTISSIME, virtutem prosequemur affectu, qui dare repulsam fortunae magno et ad posteros memorando exemplo ausus fuisti. Quoties amplissimas dignitates, non dico non.

am-



ambivisti cum posses, sed sese ipsas ingerentes a limine  
Tuo submovisti. Quam difficulter et non nisi publica,  
salute id denique poscente exorari TE passus es, ut pro-  
sequenti TE gratiae atque provehere nitenti cederes ali-  
quantum, hocque non TIBI, sed necessitatibus nostris  
dedisti. Sic patuit nobis virtutis umbram esse gloriam, eam-  
que invitos etiam comitari. Patuit nullam latere virtu-  
tem, et latuisse non ipsius esse damnum, venit enim dies,  
qui conditam, imo et seculi sui malignitate oppressam,  
publicet. Celebramus Numinis providentiam, redeun-  
tem pristinum gentis BEICHLINGIANÆ splendorem  
veneramur, nostram felicitatem, quae in istud Heroum se-  
culum nos demisit, praedicamus. Partitis vero pietatis of-  
ficiis hinc religiose ac sancte magni PARENTIS venerantes  
canitiem, ipsique circumfusum amplissimae dignitatis nim-  
bum gratulantes, hinc Filii, omnem expectationem longif-  
sime supergressi, sequentes auspicia, certantemque cum  
virtute gloriae et dignitatis splendorem adorantes, faustis  
omnibus et votis nos totos impendimus. Tu vero impi-  
mis, CANCELLARIE EXCELLENTISSIME, salve nobis,  
salve magnum summi Parentis incrementum, salve Hero-  
um soboles, salve fulcrum Augustorum, solamen patriae  
salve, salve ILLUSTRISSE COMES, BEICHLINGI, He-  
roum exemplum salve et vive. Acceptam a majoribus glo-  
riam ut auxisti, ita posteris trade auctam, dignaque Tan-  
to Parente prole beatus, in illis, siquidem incrementa subli-  
mis Tua virtus et gloria admittit, Magni Parentis exemplo  
crescere vide. TE vero, magnum coeli depositum, nobis  
quam diutissime coelum indulgeat precamur. Vindictæ,  
sibi quod suum est, non invidemus, ac ultra humanam fe-



Za 1791 TK

X 300 5586

licitatem longe provectum, et immortalitate donatum  
inter sidera locum TIBI faciat: sed fero, nec antequam  
annis non minus ac meritis gravis longaeva felicitate in-  
illustre aequae favoris et gratiae coelestis, ac adultae vir-  
tutis in isto aetatis flore, exemplum evaseris. Sic autem  
floreat in terris hisce quam diutissime TE assertore ejus  
justitia, loquatur veritas, redeat pax, conticescant feralia  
Ecclesiis, quae tot litigiosa ingenia conjungunt, bella.  
Tuae autem felicitati perennitatem addat DEVS, Tua-  
que consilia fortunae malevolentiam nunquam turbare,  
patiatur. Et sicut consulendi prudentia et autoritate,  
Principis gratia, animi moderatione, gentis nobilitate,  
Maecenatem alterum seculi nostri AVGVSTO TE fa-  
ta adjunxerunt, ita ut perpetuus sit Augusti et Maee-  
natis exemplo istius conjunctionis fructus, vovemus, au-  
guramur. At et literarum et Academiae hujus amore,  
perpetuo nobis esto Maecenas, erige depressam, afflictam  
solare, adsis destitutae, maculas absterge, florem ejus  
vel serva vel restitue. Condidit ex Majoribus Tuis fama  
perenni inclytus Herus, ERPO, sedem, in quam Musae,  
nominis credo ductas veneratione, postea commigrarunt.  
Emigrare eas ubi rerum potiris, ILLVSTRISSE DOMI-  
NE, et inter ceteras laudes Musarum Patroni gloriam TI-  
BI detrahi non patieris. Sic crescat cum AVGVSTI  
nostri Majestate Tuae quoque Purpurae splendor, sit-  
que nostra, quam dispensas, salus Tuis manibus libra-  
ta invidiae hostibus nostris, admirationi  
posteritati.

1791 00

1718

110



2728

Za  
1791

F. N. 73.

ILLVSTRISSIMO ATQVE EXCELL  
TISSIMO

DOMINO,  
DN. WOLFGANGO  
DIETERICO  
S. I. R. COMITI

A  
BEICHLINGEN,  
DYNASTIAE HOYERSWERDENSIS  
DOMINO,

S. R. MAJESTATIS POLONIARVM  
ET SERENISSIMI SAXONIAE ELECTORIS  
MAGNO CANCELLARIO  
ET SENATORI SANCTIORI,  
DOMINO SVO GRATIOSISSIMO,

RESTAVRATOS

AB  
AVGVSTISSIMO ROMANORVM IMPERATORE  
LEOPOLDO,

SACRI ROMANI IMPERII COMITIS  
TITVLOS ATQVE INSIGNIA,

PVBLYCO ALLOQVIO  
SVBMISSA GRATVLABATVR

ACADEMIA LIPSIENSIS

INTERPRETE  
GOTTFRIDO OLEARIO, P. P.  
EJVSDEMQVE h. t. RECTORE.

LIPSIAE, 1792  
Literis CHRISTIANI GÖZI.



1792.10.18

